COPYRIGHT STATEMENT

AUTHOR: Knos, Gustav

TITLE: Vita Demosthenis

PLACE: Upsaliae

DATE: 1813

BIBLIOGRAPHIC RECORD TARGET

The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign

CIC 6 / NEH Dittenberger-Vahlen Microfilming Project

Storage Number : 00-02316

Knos, Gustav, 1773-1828.
Vita Demosthenis / Gustavo Knos.
Upsaliae : Stenhammar et Palmblad. Regiae Academiae Typographi, 1813.
8 p. ; 20 cm.

1. Demosthenes. I. Title.

Language: Latin.
Note(s): Includes bibliographical references.

OCLC: nc

Technical Microfilm Data


Microfilmed by
Preservation Resources
Bethlehem, PA

On behalf of
The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign
Urbana, IL

Film Size:	35mm microfilm
Reduction Ratio:	11 : 1
Image Placement:	IA (IIA) IB IIB
Date filming began:	12-9-02
Camera operator:	K. Jones

PM-MGP
METRIC GENERAL PURPOSE TARGET
PHOTOGRAPHIC


PRECISION[SM] RESOLUTION TARGETS




A & P INTERNATIONAL
715/262-5788 FAX 262-3823
577 LOCUST ST.
PRESCOTT, WI 54021

A4


150 mm








A5


100 mm













1.0 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

1.5 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

2.0 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890





2.5 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

VITA DEMOSTHENIS.

CUJUS PARTEM PRIMAM

VENIA AMPL. FAC. PHILOS. UPSAL.

PRÆSIDE

MAG. GUSTAVO KNÖS

GRÆC. LITT. PROF. REG. ET ORD.
REG. SOCIET. SCIENT. GOTTING. LITTER. COMM. CONJUNCTO

P. P.

AND. AD. LÖTHMAN,

STIP. TOLLST. BOTHNIENSIS.

IN AUDIT. GUSTAV. DIE V JUNII. MDCCCXIII.

H. A. M. S.

UPSALIÆ,
EXCUDEBANT STENHAMMAR ET PALMBLAD.
REGIÆ ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Theologiæ Doctorn och Contracts - Prosten

Högvördige och vidtberömde

Herr MAGISTER

IS. NORDMARK

samt

Doctorinnan Högädla Fru

ANNA H. NORDMARK

född VISBECK

tacksamt och vördnadsfullt tillegnadt

af

AND. AD. LÖTHMAN.

Handelsmannen

Högädle Herr

ADAM RUTH

samt

Högädla Fru

MAGDALENA RUTH


född STENHAGEN

tillegnas detta ungdomsförsök

af

En tacksam tjenare

AND. AD. LÖTHMAN.



Græci, qua natura, aut qua vi ad tantam magnitudinem atque amplitudinem ducerentur, ubi artes partim novas generare, partim veteres abſolvere atque perficere coepiſſent, temporum rationumque repentinas mutationes circumſpiciens, non facile dixeris. Namque multa illorum opera, tantæ gratiæ tantæque perfectionis exempla exſtant, ut fidem fere ſuperet, illos adeo obſcuris gentibus circumclauſos, potuiſſe tam brevi, tantas res non animo ſolum ſibi fingere, ſed fictas ad ſummam pulchritudinis effigiem formare. In ideis ſeu formis, quum ſingularis & admirabilis quædam ſapientia apparet, tum in veſtitu orationis dicendique perpetuitate, vegetæ, amoenæ, atque perennis naturæ pulchritudo in totum ſe exſerit. Qvidquid amplum, ſublime, acutum, elegans, aptum & nervoſum cogitari poteſt, illorum plerique artium ſcriptores perpetuo tenore in tantum ſervarunt, ut nimbo, (ſi illa tempora reſpicias) veluti Pallas effulgere videantur. Illis nihil eſt otioſius, ſeu altius ſeſe attollant, aut ubi materies ita tulerit ſeſe ſubmittant. Sive enim epico dicendi generi addictos, ſive tragico ſpectes, vel ſi ab his diverſus, aut eos qui ſpretis & contemptis omnium verborum ſententiarumque ornamentis, veritatem nudam amant, in illis habeas, quibus omni tempore graves defuerunt æmulatores quamvis ipſorum ſingulis nulli fuerint duces.

Atqui

Atqui mirum ſane, quam diverſa a reliquis artibus Eloquentia habuit fata. Cum eorum plerique, qui illas ſcribere inſtituerant, poſteris opera traderent, quorum pleraque cotem temporum facile tulerunt, tum primi hujus amatores atque cultores diu nihil niſi exilia experimenta feciſſe videntur. Etenim quamvis Homerus ille Graecorum facundiae fons atque caput, Superum concilia heroumque contentiones, concitationes, & conciunculas modulando, res ab oratore notandas atque animadvertendas caneret, ſpeciemque elegantis & ſublimis eloquentiae oſtenderet; poſt illum vero Sophoclis Euripidisque querulae Muſae ſatis commonſtrarent, quomodo rhetor dictioni ſuae pathos adjungeret, ſi ſenſus affici vehementius & moveri vellet, nec non & alii artium ſcriptores artificia traderent, quorum ope graviores exiſtere oratores debuiſſent, tamen nec dum Athenis neque alibi niſi minuti oratores conſpiciebantur. Empedoclis enim, hac in re, nihil eſt memorabile, niſi quod rhetorices ut ſpecialis artis fuerit & auctor & actor *). Gorgias vero Sophiſtarum pater, etſi impetum quendam & poëticum ornamentum addidiſſet non Olympicae ſuae orationi tantum, qua Graecos adverſus Perſas & incitavit & armavit, ſed etiam funebribus, quas in honorem ad Salamina occiſorum fecit, **) tamen ut effuſe & pueriliter dicens perſtringitur ***). Alcidamas autem diſcipulus ejus, denſa & vulgariori uſus eſt dictione ****), Theodorus priſca

*) Quintil. Lib. III. Cap. I.

**) Philoſtr. de vita Sophiſtarum Lib. I.

***) Dionyſ. Halic. de vita Iſaei & Dinarchi. Lugduni, MDLXXXI. p. 21.

****) Ex eodem Dionyſio, l. c.

ca & jejuna, Anaximenes exili. Nec Protagoras Magorum neque Polus Gorgiæ nutrimentis educatus *) aliquid magni fama dignum protulerunt.

Sed ubi Athenienſes vidiſſent, quid eloquentia valeret, novus & frequentior oratorum ſuccreſcebat ordo, quem & longe diſpar reipublicæ ſtatus, & philoſophia, ſplendidioribus jam ducta fatis, provocaſſe videntur. Atque ut hæc vim cogitandi & diſſerendi copiam procreavit, ita ſtudiorum eloquentiæ ille maxima attulit irritamenta. Exſtincto enim majorum ſummo virtutis ardore, diſturbatis civitatibus, diſſociatisque inter ſe civibus, bella gentium, odia urbium, lites civium, & regum externorum munera (alios gloriæ, alios libertatis, alios injuriæ, alios denique lucri cauſſa) ad maximam perſvadendi artem excitarunt. Quo facto, cum Athenienſes verſificatores & oratores non minus quam optimos duces laudarent, plures religioni ſeu genio eorum ſervire, & in tribunali prætorum magis, quam caſtris adhærere. Alius amentatas in judiciis haſtas vibrare, alius eas oratoriis lacertis torquere, nemo in magiſtratibus, in honoribus, in legationibus, in fortunis, ſine eloquentia ſibi tutus atque munitus videri. Quid? quum ſegnities rerum gerendarum veluti peſtis pleraque membra circum corripuiſſet, quo remedio aut qua vi magis ad majorum facta incitari & impelli poſſe viderentur? Hinc prout quisque ingenio & arte excellebat, diſpares apparuere, Theodectes, Theopompus, Naucrates, Ephorus, Philiſtus, Cephiſodorus, quorum tamen nullus Iſocratis dicendi veneres imitando exprimere valuit, **) & ab his preſſa oratione diverſi Antiphon, Traſymachus, Polycrates atque Zoilus

*) Vide Philoſtr. l. c. & Phædrum Platonis.
**) Dion. Halic.

Zoilus, quorum omnes Lyſia fuerint inferiores. At tanto præſtantiores erant Iſæus, Lycurgus, Æſchines, Hyperides & Dinarchus, quorum alii doctrina excellentes, nitore & evidentia celebrantur, alii in rcbus augendis & amplificandis graves, ut plures illuſtria èloquentiæ exempla fuiſſent, ſi Demoſthenes nunquam exſtitiſſet: *ὁ δὲ τȣ́τȣς τε καὶ τȣ̃ς ἄλλȣς πάντας ὑπερβαλλόμενος Δημοσθένης, ἅπαντα μιμησάμενος, καὶ πάντων τὰ κάλλιϛα ἐκλεξάμενος, δῆλος μὲν, καὶ τῇ φωνῇ μόνον, δῆλος δὲ καὶ τῷ καθ' ἕνα ἕκαϛον λόγον πρέποντι, ȣ̓ μὲν ἀλλὰ καὶ συνθέσει, καὶ τῷ σχηματισμῷν αγκύλῳ, καὶ τῇ οικονομίᾳ, καὶ τῷ πάθει, καὶ (τὸ μέγιϛον) τῇ δεινότητι* *).

Quibus vero ceterum ingenii artisque emineat virtutibus, cum omnis in illis appareat, tamen eruere nihil eſt difficilius. Quemadmodum enim in natura forma affici ſolemus, cui ſummam venuſtatis atque perfectionis effigiem impreſſam opinamur, quamvis corpori inſitam vim omnino neſcimus, atque ſentimus melius, quam intelligimus, quod nos moveat atque delectet; ſic in divinis veritates ingenio roboratæ arteque limatæ eam habent gratiam atque ſublimitatem, ut nihil illis præclarius atque amabilius videatur, earum licet perfectiones non ab omnibus eodem intelligantur modo, ſed aliæ aliis videntur, cum quidem in diverſis diverſa eſt ſentiendi ratio. Quamobrem etiam Ciceronis & Quintiliani varia de Demoſthene judicia fuerunt. Namque etſi ille confitetur, eum nihil Lyſiæ ſubtilitate, nihil argutiis & acumine Hyperidi, nihil lenitate Æſchini & ſplendore verborum, **) tamen

---

*) Idem p. 28.

**) Cic. Orator a G. B. Schirach edit. Halæ MDCCLXVI. p. 124.

tamen perfecte eloquentem fuisse negat & sibi satisfacere *), quum eundem alter fuisse dixit, cui nec quid desit, nec quid redundet invenias **). Quanto minus orationum imperitus dicere conabitur, quantus Orator Demosthenes fuerit, qui communem omnium eloquentiam ad se unum rapuisse judicatur ***). Sed meis erit, in votis, posse quodammodo exponere, quamtum ille in Atheniensium animos tamquam influxerit, & quoties respubica orationibus ejus, quo vellet, impulsa fuerit, postquam nonnulla de genere, de primæ ætatis studiis, & de moribus ejus commemoraverim.

Tum vero, eos, qui aut laudandi aut vituperandi studio de Demosthene scribere instituerunt, vel omnino annum nativitatis reticuisse video, vel multa de hoc, ut de moribus ejus variasse. Dionysius Halicarnas. in libello ad Ammæum refert natum anno V Olymp. XCIX. (ante æra Christiana CCCLXXXVI. ****) Plutarchus totum fere lustrum ætati ejus addit. Pater ex tribu Athenarum pæaniensi, a quibusdam faber ærarius habitus est, quod officinam haberet in qua servi arma patriæ cudebant †) unde summus ille decteriorum fabricator Juvenalis:

 Quem

*) Ibidem p. 118.

**) Qvintil. Lib. X.

***) Hermogenis Lib. 1. de formis.

****) Goldsmith in historia Græcorum svetice tradita 1806 p. 196.

†) Plutarchus (in Vita Demosth. Opp. T. 1. p. 847. C. ed. Frft.) ἐπεκαλεῖτο Μαχαιροποιός, ἐργαστήριον ἔχων μέγα καὶ δούλους τεχνίτας.

Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus
A carbone & forcipibus gladiosque parante
Incude & luteo vulcano ad rhetora miſit; *)

ſed fideliorum monimentis exſtat fuiſſe trierarchum & ſanguine optimis Athenienſium civibus, cohæruiſſe **) Matrem Cleobulam habuit ignobiliorem & a Schytis oriundam.

Deorum hunc æquis genitum fatis dicas, ſi ingenii dotes mortalibus aperta manu largientia, fauſta atque benigna judices, compreſſa & retracta, qua teneant corporis robur atque venuſtatem. Sin minus iniquis. Etenim graviſſimis animi laboribus non modo ſuſcipiendis, ſed etiam perficiendis ſingularem & divinam acceperat naturam; ſed palæſtræ & corporis oneribus iniquiſſimam. Hinc in Muſarum umbratili regno & curriculis illis ubi Plato inambulabat, grandi & divino ore profundiſſimam ſapientiam effundens, floreſcentis ætatis gradus adhæſerunt. ***) Ibi dum differendi copiam & ſermonis granditatem accipiebat caſus quidam incidit, qui eloquentiam illi reliquis artibus amabiliorem fecit. Namque audita Calliſtrati oratione de Oropeis, quos Themeſis Eretriæ tyrannus in bello Boeotico Thebanorum fidei tradiderat, cum vidiſſet illum quaſi in triumphum deduci, adeo facundia & gloria ejus captus eſt, ut inde usque diſſertiſſimum quemque ſibi ad imitandum proponeret. Spatiis itaque Academiæ relictis poſt ſextum & decimum ætatis annum præſcripta Iſæi artemque orandi ediſcere coepit. Indeque fons

*) Sat. X. v. 130—133.
**) v. Δημοσθενους εγκωμιον κατα λουκίανον. conf. Goldſmith p. 80. 196.
***) Quintil. Lib. XII. cap. 11. conf. Geddeſium de oratione veterum p. 161. Tom IV. P. 1. collection. nonnullorum ad litteras elegantes pertinentium ſcriptorum. Berolini apud Nicolaum 1761

fons artificii Demosthenis ducendus *). Namque ille & suo ingenio & Isocratis arte & philosophorum doctrina instructus, non minus callide cogitavit quam ornate egit. Enimvero stilus ejus ex ejusdem Dionysii judicio, fuit purus, limatus, dilucidus, gravis & concisus, nec non caussarum tenacissimus & rotundus. Conpositio vero exquisita, schematibusque interposita variis, adeo ut in genere judiciali, cui totum se dederat & judices eluderet & adversarios opprimeret.

Lascivam hujus & intemperantem a teneris vivendi rationem, maxime vero provectioris ætatis malitiam nonulli aspere perstringunt **). Quare nec æmulatores & adversarii Demosthenis dubitarunt, eum vel propter odium vel invidiam vel ambitionem accusare & ejusdem fallaciis obstringere ***). Quibus si ulla fides foret, ille non modo non singularis, sed ne quidem mediocris & solitus homo fuisset. At quam malignæ horum fuerint congestæ criminationes, omittendum atque transferendum opinor, dum locus erit caussas exilii ejus dicendi, neque ordinem & modum interrumpendum, quo ad summum eloquentiæ fastigium accesserit.

Itaque artificio Isæi imbutus, nec minus a Platone, Isocrate, Eubulide atque Thucydide auctus ****), postquam apiculæ more flores quaquaversum degustasset, caussis & privatis & publicis agendis interesse coepit. Prima tamen vestigia nec pressit gloria comes neque dum erat

- - - - - quem mirabantur Athenæ
Torrentem & pleni moderantem frena theatri; †)

Quin

*) Dionys. Halic. l. c. p. 6 & 15.
**) Philostrat. Lib. I. de vita Sophist.
***) v. Dionys. p. 7.
****) v. Svidam de Demosth. †) Iuv. Sat. X.

Quin immo irritus visus est labor, quem studiis eloquentiæ enixe dederat, irrita atque vana opera lucubrata. Neque cogitandum, quæ tum essent Atheniensium aures Sophistarum deliciis assvetæ, eum unquam a suis civibus fuisse habitum in oratoribus optimum, & quasi pharon, cujus lumen quicunque aspiceret & sequeretur, tutus ire videbatur, nisi inpedimenta naturæ superasset. Hoc risus Cecropiæ urbis prima quum celebri adferret eloquia foro, hoc dolor oratoris ad Pireæum triste ambulantis, hoc querelæ ejus satis probant *). Tum enim nec ipse fuerat vocis suæ conditor neque Satiri histrionis elegantem & accommodatissimam agendi artem didicerat, sed blæso ululans sono, audientium aures tundebat, dum cacchinnum tollerent eumque exsibilarent **). Risum tamen solutum mox in admirationem sui vertit. Ignominiam indocilis pati, viam natura obsæptam ipse industria pandit. In os lapillos indidit, quorum inertia inertiam linguæ tollit. Ardua terrarum declamando enitens & supra strepitum fluminum præcipitantium vocem attollens, latera corroboravit. Spelunca usus est subterranea, ut ad quæcunque verba & membra orationis vocem tanto melius accommodaret, vel ne in cogitando ullo objecto visu disturbaretur. Ad speculum, ense ab humeris suspenso gestum habitumque formavit. Quibus experimentis quum obtinuisset actionem animi & spiritus abundantem atque nervosæ & variæ vehementiæ plenam, ut quantum cogitandi vi & dictionis magnificentia, tantum etiam svavitate oris valeret, novus intra sæptum fori progrediebatur.

---

*) v. Lucian. de eodem.

**) Plutarchus in libr. Vito de Paralellis.